

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagrata <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Privilegium

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

præcauendis dissensionibus, &c. toto volumine, speciatim de munere singulorum, Generalis, Definitorum, Guardianorum, Discretorum, &c. Dubiorum centuria 2. per 16, tractatus.

PRIVILEGIUM.

399. *Priuelegium quid sit?* 400. *Quotuplex?*
 401. *Priuelegij scripti diuisio ac differentia.* 402. *Priuelegiorum communicatio.* Bulla Leon. 10. 403. *Iulij 2.*
 404. *Priuelegiorum confirmatio.*
 405. *Communicatio Priuelegiorum facta Caputinis generaliter.* 406. *Specialiter.*
 407. *Communicatio Priuelegiorum cum Societate IESV.*
 408. *Communicatio Priuelegiorum specialis.*
 409. *Eius limitatio prima.* 410. *Secunda.* 411. *Tertia.*
 41. *Communicatio Indulgentiarum.* 413. *Specifica Ord. Min.*
 414. *Priuelegiorum interpretatio.* 415. *Restriicta Prælati.*
 416. *Priuelegiorum in Ordine nostro Moderatio.*
 417. *Priuelegiorum Reuocatio.* 418. *Vsus.*
 419. *Oracula viua vocis.* 420. *Eorum Reuocatio.*
 399. Pri-

CCC.
XCIX. 399.
*Privilegi-
um quid
sit.*

Privilegium proprie sumptum, communiter definitur, quod sit Lex priuata, seu ius singulare contra ius commune, indultum. Ita DD. apud Barbos. in *Collect. ad c. Privilegia. d. 3.* Quia in privilegio fauor aliquis conceditur, qui iure communi non conceditur, aliàs Privilegium frustratorium esset & inutile. Ex eo quod privilegium dicitur *lex*, infert Barbos. *cit. d. 4. c. Erit autem lex.* omnia quæ legibus in communi conueniunt, & ad earum perfectam rationem requiruntur, omnesque effectus, qui eis tribuuntur, privilegij etiam conuenire & cum proportione applicari: quod ibi accuratè præstat prædictus auctor. Sicut etiam ad legem, sic ad privilegij substantiam non pertinet, nec necessarium est, ut sit scriptum, aut per Breue concessum, sed sufficiunt verba, iuxta textum expressam. *c. Institutionis. 25. q. 2.* atque communem DD. sententiam, ut præter Barbos. demonstrat Tambur. *de iure Abb. 10. 1. dist. 16. q. 2.* Minoritis insuper singulatim concessum est, ut eorum privilegia non sint minoris efficaciz & valoris viuæ vocis oraculo data, quàm si per Bullam seu Breue essent concessa. De quo Bassæ. *10. 1. V. Priuil. 1. n. 3.*

CCCC.
*Quorum
plurimè*

400. Hinc habetur prima Privilegij Diuisio, in *scriptum & non scriptum* seu *uiuæ vocis*

locis oraculum, comprehendens Gratiam vel favorem à Pontifice concessum, quod per authenticam Bullam non expeditur, etiam si in alio scripto non ita authentico inveniatur, vel solâ relatione fide dignorum testium habeatur.

401. Privilegium scriptum aliud continetur *in corpore Iuris*; aliud verò *extrâ corpus Iuris*. Ambolice æqualem coram Deo habeant vim, differunt tamen 1. quia Privilegium insertum in corpore Iuris est quasi Lex publica, & obligat omnes ad sui observationem seu consuetudinem. Privilegium verò extrâ corpus Iuris, contentum scilicet in aliqua Bulla particulari non ita promulgatur, neque ita obligat, nisi post exhibitionem authenticam & iustificatam. 2. quia privilegia contenta in corpore Iuris non reuocantur, nisi de illis fiat specialis mentio; vel dicatur, quòd reuocantur etiam Privilegia in Iure communi contenta, & sic non sufficit reuocatio quantumcunque Generalis. Privilegia verò posita extra corpus Iuris reuocantur, per quamcunque reuocationem generalem, si sic absolutè velit Pontifex; quia tamen non obstantibus clausulis etiam rigorosissimis summi Pontificis intentio tam rigorosa sæpè non est, non leuis idcirco lis est inter DD. circa Privilegiorum

CCCCI.
Privilegijs
scriptis Deo
iusto.

oo

uilegiorum Regularium reuocationem, super qua operosè disputat Sanctarell. *Variar. Resol. q. 17.* citatis quamplurimis in vtramque partem authoribus. Sed de privilegiorum reuocatione postea.

CCCCII.

Privilegi-
orū com-
municatio.

402. Inter quæstiones de privilegijs communiter ventilari solitas, consideranda potissimum venit eorum *communicatio*, quæcum singulis Ordinibus, prout ferebat occasio vel causa, primitus collata fuissent, omnibus tandem æquâ lance concessa sunt, *vt quos par labor* (ita loquitur Sixt. 4. In *Mari Magno Augustiniens.*) & *paria merita coniungunt, paria quoque coniungerent Privilegia & fauores, &c.* In hoc genere duo præ cæteris notatu digna se se offerunt, tanquàm fundamenta multarum resolutionum, quæ proindè per extensum hîc ponere pretium operæ videtur: Vnum est Leon. 10. Alterum Iul. 2. Illud communicationem simpliciter; hoc, modum participandi continet. Primum itaque sic habet.

Bulla Leon. 10.

Leo 10. & c. Dudum per nos accepto, quod Romani Pontifices Prædecessores nostri, aliqui ad Minorum, alij verò ad Eremitarum S. Augustini, alij ad B. Mariae de Carmelo, reliqui ad Predicatorum Ordinum fratres & domos, iuxta ipsorum vota deuotionis affectum gerentes, illorum singulis nonnullas gratias, concessiones, indul-

indulgentias, peccatorum remissiones, prerogativas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, ac dona, tam spiritualia, quàm corporalia per diuersas ipsorum litteras respectiue concesserunt.

§. 1. Nos ad singulos Ordines predictos, singulasque ipsorum Ordinum domos, vbi religiosè viuuntur, indifferenter, absque acceptione personarum, deuotionis affectum equà lance gerentes, omnes & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prerogativas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta tam spiritualia, quàm temporalia, qualiacunque illa essent, quae Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Seruorum B. Mariae, ac Minorum fratrum in domibus & illorum Ecclesijs, Oratorijs, ac Ecclesijs ipsas, & Oratoria pro tempore visitantibus, cuiuscunque status aut sexus existerent, seu pro eorum manutentione & ornatu contribuentibus, necnò domibus & Praesidentibus, non solùm Generalibus, sed & Provincialibus, fratribusque & sororibus, necnon Monialibus & conuersis, oblati, ac vtriusque sexus personis de Poenitentia, seu tertij habitus nuncupatis, à dictis Praedecessoribus, aut à nobis, ipsisq; Successoribus, aut alijs auctoritatem habentibus, coniunctim vel diuisim, in genere vel specie concessa fuerunt, aut in posterum conceden-

cedentur, illa & omnia singula, ac si nominatim exprimerentur, pro sufficienter expressis tunc habentes, singulis Ordinibus prædictis, illorumque singulis Ecclesijs, Oratorijs, & Ecclesijs ac Oratoria visitantibus, cuiuscunque status aut sexus existerent, seu pro eorum manutenzione & ornata contribuentibus, necnon domibus, & Conventualibus fratribus & etiam sororibus, vel Monialibus, conuersis quoque & oblati, ac vtriusque sexus personis de Pœnitentianuncupatis, & alijs singulorum Ordinum prædictorum, motu proprio, & ex mera nostra scientia, & liberalitate, de Apostolica auctoritatis plenitudine communicauimus: Illaque omnia & singula inter dictorum Ordinum personas pariformiter communia esse, fuisse & esse volumus, prout in singulis prædictis litteris plenius continetur.

§. 2. Et deinde, sicut accepimus, nonnulli fratres dictorum Ordinum volentes sapere plusquam oportet, atque ad ipsorum nutum verba ipsa interpretantes, diuersis, tam secularibus, quam etiã alijs personis publicè & priuatè suggesterunt, quod ipsi Seculares visitando vnam dictorum Ordinum domum, omnes & singulas indulgentias & remissiones peccatorum, tam per dictos Prædecesores nostros, quam per nos domui B. Mariæ de Populo de Vrbe concessas, consequi poterant perinde, ac si dictam domum S. Mariæ de Populo visitarent; quod præter ipsorum

Præde-

Prædecessorum & nostram mentem fuisse & esse dignoscitur. Attendentes igitur, quod Indulgentia intuitu Religionis concessa, ad Seculares extendi non debet, volentes mentem dictorum Prædecessorum & nostram declarare, & omnem ambiguitatem & occasionem tollere, motu proprio & ex certa scientia, volumus & auctoritate Apostolicâ declaramus, quod vniuersi & singuli dictorum Ordinū fratres & Moniales tertij Ordinis vtriusque sexûs & familiares duntaxat, omnibus & singulis indulgentijs & gratijs per eosdem Prædecessores & Nos domui B. Maria de Vrbe, vt præfertur, concessis & cõcedendis vtantur, potiantur, & gaudeant, ac vti, potiri, & gaudere possint quomodolibet in futurum, perinde ac si ipsi dictam domum B. Maria de Populo his diebus & festiuitatibus, quibus indulgentiã huiusmodi concessa fore dignoscuntur, personaliter visitarent; quodque vigore predictarum litterarum Seculares gratijs & Indulgentijs huiusmodi vti & gaudere non possint.

§. 3. Inhibentes nihilominus in virtute S. Obedientia, & sub Excommunicationis lata sententia pœnâ eo ipso per contrasfacientes incurrendâ, omnibus & singulis fratribus cuiuscunque Ordinis existentibus, & quibuslibet alijs personis, ne deinceps Indulgentias & gratias huiusmodi S. Maria de Populo de Vrbe ad Seculares extendi prædicent, aut publicè vel priuatè

publicent. Non obstantibus, &c. Dat. Roma
apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 20. De-
cemb. 1519. Pont. nostri A. 7.

CONSTITVTIO ALIA IVLII II.
declarans, quomodo sit intelligenda com-
municatio Priuilegiorum inter Ordines
Minorum & Prædicatorum.

CCCCIII.
Bulla lal.
2.

403. **I**vlivs 2. &c. *Aliàs ad supplicatio-
nem Charissimi in Christo filij nostri
Ferdinandi Regis, &c. Et infra.*

S. I. Quodque in prædicta priuilegiorum,
gratiarum & indultorum præfatorum commu-
nicatione, tam vniuersaliter per Prædecessores
nostros toti Ordini Minorum, quàm etiam per
Nos particulariter prædictorum regnorum fra-
tribus factâ, ut ea, quæ ad absolutionem, dispen-
sationem, vel aliàs ad Priorem generalem, seu
Magistrum Ordinis Prædicatorum spectant; ad
Ministrum vel Vicarium Generalem fratrum Mi-
norum pertineant; & ea quæ ad Priores Con-
uentuales, id est, Prælatos singularum domorum
Ordinis Prædicatorum & eorum Vicarios simi-
liter spectant; ad Guardianos & eorum Vic-
rios Ordinis Minorum. Et ea quæ ad Priores, seu
Vicarios, vel Subprios, Prouinciales, id est,
Prælatos, qui Medi j sunt, quocunq; nomine cen-
seantur, vel vocentur, inter dictum Generalem,
seu Magistrum Ordinis, & Priores Conuentua-
les

les eorumque Vicarios simili modo spectant, ad
 Ministros & Vicarios Provinciales ac Custodes,
 qui etiam medij sunt inter Ministrum & Vica-
 rium Generalem, & Guardianos, eorumque Vi-
 carios similiter pertineant. Et sicut de potestate
 Pralatorum, scilicet de Pralatis ad Pralatos di-
 ctum est, ita de Congregationibus vnius ad Con-
 gregationes alterius Ordinis; Et de fratribus
 priuatis, id est, sine Pralatura, ad fratres pri-
 uatos: Et de festiuitatibus ad festiuitates, in his
 casibus, in quibus congregationibus vel fratri-
 bus priuatis, aut festiuitatibus vnius ordinis ali-
 quid conceditur, Congregationibus, fratribus
 priuatis, ac festiuitatibus alterius Ordinis nunc
 & pro tempore respectiue concessa intelligantur.
 Ita quod ea, que in honorem SS. Dominici, Pe-
 tri M. Thomæ de Aquino, Catharina de Senis,
 fratribus vel locis Prædicatorum sunt concessa,
 omnia, illa fratribus Minoribus præfatis, eorum-
 que locis in festiuitatibus SS. Francisci, Antonij,
 Ludouici, Bernardini, Bonauentura, & Quin-
 que Martyrum dicti Ordinis, qui apud Marro-
 chium Martyrij Coronam adepti sunt, & S. Cla-
 ra, & in alijs festiuitatibus dicti Ordinis Mino-
 rum, licet sint in maiori numero, quàm festa
 Prædicatorum, sint & intelligantur concessa, ad
 tollendam quamcunque hesitationem, & inde
 forte ortum scrupulum, auctoritate, & tenore
 præfatis declaramus. Datum Roma apud S. Pe-
 trum,

rum, sub annulo Piscatoris, die 1. Iun. 1509,
Pontificatus nostri A. 6.

CCCCIV.
Privilegi-
orum Cō-
firmatio.

404. Prædictam Privilegiorum com-
municationem, cum successivè plures alij
Pontifices, tam ante, quàm post Conc. Tri-
dent. clausulis efficacissimis, multoties
confirmârint, meritò infert Urban. ab Af-
cen. *Theol. Mor. tr. 2. p. 1. c. 3. Reg. 9.* nullum
esse Privilegium in vigore & firmitate pro
Regularibus, quo non possint vii Mendicantes
turâ conscientia: Cumque eadem
facta sit æquè de præteritis & de futuris,
statim ac aliquod privilegium vni Ordini
concessum est, aut pro aliquo confirmatum
aut innouatum, aut communicatum, pro
alijs etiam eo ipso factum, confirmatum,
innouatum ac communicatum esse, ac illis
deservire in utroque foro, eodem prorsus
jure & valore, ac si omnibus in genere &
singulis in particulari fuissent concessa.

CCCCV.
Communi-
catio Pri-
vilegiorum
facta Ca-
pucinis
generaliter.

405. Porro specialius de nostra Capuci-
norum Congregatione loquendo, commu-
nicamus nos Capucini, non solum Ordinis
Minorum, verum etiam quarumcunque
aliarum Religionum privilegij, ac si no-
minatim quoque nobis concessa forent, ut
ex nostris singulariter annotant P. Sorboin
*Comp. Priu. V. Communicatio Priuil. & P. E-
ligius to. 1. V. Priuil. s. n. 4.* per amplissimâ
conces-

concessionem Clem. 7. in qua motu proprio
 & ex certa scientia tribus Ordinibus S. P. Fran-
 cisci, vtriusq; sexus, communicat omnia indul-
 ta, gratias Indulgentias, & alia quaecunque pri-
 vilegia, concessa & concedenda alijs quibuscunq;
 Ordinibus, tam Mendicantibus, quam nō Men-
 dicantibus, perinde ac si eis specialiter concessa
 fuissent. Comp. Priuil. V. Communic. Priuil.
 n. 59. P. Chast. de Priuil. Reg. 17. 1. c. 3. Prop. 1.

406. Aliam magis specialem eiusdem **CCCCVI.**
 Clem. 7. referunt nostri Annales in Rege- *Speciali-*
 sto Bullar. & Laërt. Cherub. in Bullar. Con- *ter.*
 stit. 2. d. Clem. 5. 9 cuius initium: Religionis
 Zelus. An. 1529. 5. Non. Jul. sub his verbis:
 Nec non omnibus & singulis Priuilegijs, Indul-
 tis, & Gratijs Ordinis FF. Min. huiusmodi ac
 Eremo Camald. B. Romualdi, illiusq; Eremitis,
 in genere vel in specie hactenus concessis, vel in
 posterum concedendis, & quibus ipsi quomodoli-
 ber vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vii, &
 potiri & gaudere liberè & licitè valeant, plenā
 & liberam licentiam & facultatem concedi-
 mus, &c. Monachi autem Camaldulenses
 participant omnia Priuilegia, gratias, con-
 cessiones & Indulgentias, quibuscunq;
 Regularibus elargitas, ac in posterum elar-
 giendas, tam directè, quam per viam com-
 municationis ex indulto Greg. 14. eis im-
 partito An. 1591. 24. Sept. vt patet ex eius

Oos

Constit.

Constit. quæ incipit: *Ex iniuncto nobis*. quæ est 18. in ordine, in Bullario nouo. Quæ cum expedita sit (vt præteream alias priuilegiolorum Minoriticorum confirmationes, quas vsque ad Paulum 5. 1609. succinctè recenset P. Elig. *cit. n. 2. ex Tambur. de Iure Abbat. 10. 1. disp. 18. q. 3.*) quando iam ordo Societatis erat fundatus, dubium non est, tam Religionè FF. Minor, quàm alias communicare in priuilegijs dictæ Societati concessis, vel in posterum concedendis, vt idem probat *n. 14. & 20. 2. V. Priuilegium, n. 12.* Amplius autem confirmant Urban. ab Ascens & P. Sorbo *ll. cc. ac P. Chassain, cit. prop. 6* per Bullas Pauli 4. Pij 5. Greg. 13. Greg. 14. & Sixti 5. qui prædictorū ordinū communicationè ad priuilegia Societ. IESV verbis expressis extenderunt.

CCCCVII.

Communicatio Priuilegij cum Soc. Iesu.

407. Dubitatur de priuilegijs illis, quæ Societati Iesu concessa sunt cum limitatione, ne illis aliqua Religio communicet, an propterea Religiones aliæ ijs gaudere possint? Negat Soar. *l. 8. de legib. c. 17.* cui ex parte consentit Urban. ab Ascens. *ubi supra.* Rectius affirmat P. Elig. *10. 1. cit. n. 10.* secutus Dianam, Rodriq. Ioan. de la Cruz, Portel. (imò contrarium tenet hic Author expressè. *V. Communic. Priu. n. 5.*) & Mirand. Quibus adde Chassain. *cit. prop. 7.* propter

propter amplam confirmationem & extensionem privilegiorum alijs Religionibus à sequentibus Pontificibus, præsertim Urban. 8. An 1624 die 28. Jun. in Bulla, quæ incipit: *Inuncti nobis*, pro fratribus Minimis, quam referunt Peyr. 10. 3. *Const. 1. Urban. 8.* Tambur, *cit. disp. 17. q. 1. n. 37. &c.* Ex qua singulariter notanda sunt, quæ dicit ibi: *Omnia & singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, fauores, conservationes, declarationes, facultates, dispositiones, gratias, concessionem, indulgentias, & indulgentia spiritualia & temporalia, etiam per modum communicationis & extensionis inter se & cum alijs Ordinibus Mendicantium & non Mendicantium eidem Ordini Minimorum, eiusque Correctori Generali, ac fratribus & sororibus, alijsque Religiosis utriusque sexus, eorumque domibus, Monasterijs, Ecclesijs, & locis Regularibus, quibuscunque per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros ac nos & Apostolicam Sedem, sub quibuscunque verborum formis & expressionibus in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet concessa ac pluries confirmata, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, decretis & declarationibus, ac singulas litteras, tam sub plumbo, quàm in formis Brevis aut aliàs desuper confectas, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus;*
quatenus

quatenus tamen sint in vsu & non sint reuoca-
 ta, seu sub aliquibus reuocationibus comprehen-
 sa, ac SS. Canonibus & Conc. Trid. Decretis non
 aduersentur, ex certa nostra scientia ac de Apo-
 stolica Potestatis plenitudine, tenore presentium,
 perpetuo confirmamus & approbamus, illisque per-
 petua & inuiolabilis Apostolica firmitatis robur
 adijcimus, ac omnes & singulos tam juris, quam
 facti defectus, si qui interuenerint, in iisdem
 supplemus, &c. Verum specialiter Gregor. 14.
 A. 1591. Ordini Crucigerorum concessit, vt
 fruantur Priuilegijs Societatis Iesu, pariformi-
 ter & aequè principaliter absque vlla prorsus
 differentia, perinde ac si Congregationi, Ecclesi-
 is & domibus ipsorum, nominatim & speciali-
 ter ac generaliter concessa fuissent, vt latissimè
 habetur in Constit. eiusdem Pontificis, cuius
 initium: Illius, qui pro gregis, &c. cuius
 meminit, nobisque Capucinis communi-
 cari testatur P. Sorbo vbi supra. Vide super
 hac concessione etiam Rodriq. to. 1. qq. Reg.
 q. 55. a. 17. Similiter & Urbanus 8. A. 1634.
 (referente P. Augustino à Virgine Maria
 Carmelitâ, in priuilegijs Religiosorum Or-
 dinum, &c. V. Communicatio, n. 66.) Dis-
 ceatis Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Cap-
 tuorum communicat priuilegia quibusue Ordi-
 nibus Mendicantium & non Mendicantium,
 etiam Societatis Iesu, concessa & conce-
 denda.

dena, quamvis illa sint speciali notâ digna
difficilisq; concessionis, & quæ in generali
concessione non veniunt, quatenus sint in v-
su & non reuocata, non obstantibus Conciliis
Generalibus, &c. Bulla. Redemptoris. 133. apud
Cher.

408. Privilegia etiam vni Ecclesiæ,
Conuentui, vel personis in dignitate, vel
officijs, existentibus, concessa; & cæteris
eiusdem Ordinis Ecclesijs, Conuentibus &
personis aliorum Ordinum, qui cum ipsis
participant, communicantur. Quoad per-
sonas, constat ex Bulla Iul. 2. superiùs rela-
ta: Quantum ad cætera, videlicet, quòd
illa communicatio extendatur ad loca, Ec-
clesias & Conuentus, P. Chassain. vbi su-
pra. prop. 5. producit duplex privilegium,
vnum Pij 5. concessum Ordini S. Hieron.
in Hispania ad instantiam Philippi 2. Al-
terum Clem. 8. datum Conuentui S. Ste-
phani Ordinis Prædicatorum, quo, inquit,
gaudet totus Ordo Prædicatorum, cui, cum com-
municent Regulares Mendicantes, sine dubio
possint illo etiam vti. Alia insuper adducit
Feyr. præsertim verò Clem. 7. Constit. 3.
quæ incipit: Deuotionis augmentum. Dat. 22.
Sept. 1532. cuius hæc sunt formalia: Omnia
& singula privilegia, immunitates, indulgen-
tias, exemptiones & indulgæ, vni aut pluribus
domibus

CCCC.

VIII.

Communi-
catio Pri-
uil. speci-
alis.

domibus Ordinis huiusmodi specialiter concessis, a d omnes & singulas ipsius Ordinis domos de nouo susceptas & suscipiendas auctoritate Apostolica per presentes de nouo extendimus & ampliamus, ipsasque domos susceptas & suscipiendas eisdem priuilegijs, immunitatibus, gratiis, Indulgentiis, & indulgiis aliis domibus specialiter concessis, pariformiter, & aequè principaliter potiri & gaudere, ac si singulis domibus susceptis & suscipiendis, & Christi-fidelibus illarum Ecclesias visitantibus specialiter concessa fuissent, &c.

CCCCIX.
Limitatur. 1.

409. Dictam Priuilegiorum communicationem limitat 1. Rodriq. 10. 1. 99. Reg. q. 55. a. 22. Portel. V. Communis. Priuil. n. 8. & his allegatis Lezan, 10. 2. e. 1. n. 56. & 62. ad Priuilegia, vt loquitur Clem. 7. in Bulla; Ex Clement. An. 1530. Professioni talis Ordinis non contraria &c. Quare si Priuilegium vni Ordini Mendicantium concessum repugnat obseruantiae alterius, iste ordo cui repugnat non potest illo priuilegio vti: neque enim æquum est credere Pontifices concedere Religioni alicui, quod in dissipatione & destructionem illius cederet. Hanc ob causam Rodriq. cit. q. 55. a. 18. Et ex eo Mirand. 10. 2. Manual. Pralat. q. 46. a. 7. & alij plures, negant Priuilegium vni alicui Religioso in particulari concessum ab altero vel

vel alijs participari, tum quod ita Leo 10. declarauit, tum etiam quia ex contrario facto, plura atque innumera exorirentur inconuenientia, euertereturque sic funditus omnis Regularis Disciplina, vt patet in Priuilegio, quod Paul. 3. concessit Societati Iesu non recitandi officium Diuin. in communi &c.

410. Limitat 2. Urban. ab Ascens. *ubi* **CCCCX.**
Limitatur a.
supra Reg. 10. Communicationem tantum procedere in favorabilibus, non verò in odiosis, quia communicatio fit honorum nõ onerum, nisi specialiter exprimatur. Vnde Lezan. *l. cit. n. 52.* negat in pœnis & censuris vni ordini Mendicantium impositis alios communicare Et speciatim P. Sigism. *de Elect. dub. 53.* dicit Bullas contra Subornatores aliquarum Religionum in specie & nominatim emanatas, non extendi ad alias, contra quos non fuerunt specialiter & nominatim latæ: tum quia in materia pœnali, verba sumenda sunt strictè, & propriè. *c. Statutum. de Elect. in 6.* Et iuxta Regul. jur. *in 6.* odia debent restringi, & fauores ampliari. tum etiam quia Summi Pontifices communicationem priuilegiorum concedentes, nihil de pœnis & censuris dixisse leguntur. Ob eandem rationem Soar. *l. 8. de deleg. 6. 17.* admittit, quòd cum Religiosi Societatis

tatis

tatis Iesu nō gaudeant v̄llo Pontificio bene-
 ficio, nisi quatenus deriuatur in ipsos per
 Præpositū Generalem, vt declarauit Greg 13.
 In Bulla: *Ad futuram*, hoc tamen minime
 nocere alijs, qui communicant ipsorum
 Priuilegijs, quin inconsulto suo Generali
 gaudeant illis Priuilegijs, *propter Societatis*
ab alijs Religionibus diuersitatem, vt loquitur
 Pontifex ibidem, ob quam restrictio illa, nō
 vtendi Priuilegijs nisi mediante Generali,
 non semper æquē aut benē accommodatur
 alijs Dian. *rr. 2. de dub. Reg. Res. 81. & p. 15.*
rr. 13. Res. 46. Peyr. ad Constit. Pyrthi n. 52.

CCCXI.
 Limit. 3.

411. Denique Tamburin. *de Iure Ab-*
bat. 10. 1. disp. 17. q. 2. communicationem aut
non habere locum in exorbitantibus & qua raro
conceduntur, vti sunt altaria priuilegiata (de
hoc vide num, seq.) vel si Priuilegium, ex
parte materiæ & obiecti statuat determina-
tum locum aut Prouinciam, quale est v. g.
apud nos Priuilegium Missionarium, quod
neque apud omnes Ordinis nostri Prouin-
cias, neque eadem latitudine in vsu est, fi-
cuti neque priuilegium audiendi Confes-
siones Sæcularium, de quo V. Confessarius. n.
97. In quo proinde cuiuscunque Religio-
nis aut Prouinciæ consuetudo & praxis at-
tendenda est, & noscenda ex peculiaribus
Ordinum statutis atque Superiorum ordi-
nationibus,

ordinationibus, qui propterea, ut paulo post
 dicturus sum, singularem facultatem ha-
 bent, privilegiorum usum declarandi suis-
 que subditis restringendi, vel etiam peni-
 tus interdicens. Dari communicationem
 Privilegiorum inter ordines Religiosos,
 quantumvis exorbitantia sint seu specialia
 & rara, raro vel ægrè concedi solita, modò
 non sint contraria statuti alicuius ordinis,
 vel enormiter lædant jus tertij, &c. probat
 multis Aluifet. de Privil. Regul. sec. 3. dub. 2.
 & sec. 1. c. 3. §. n. 28. & seqq. quem consule-
 re poteris, si lubet.

412. Dari communicationem Indul-
 gentiarum, sicut & Privilegiorum, inter
 omnes Religiones communicationem ha-
 bentes, ex pluribus Bullis relatis in Comp.
 priuil. V. Communicatio. Rodriq. 10. 1. q. 55.
 & Mirand. 10. 2. q. 46. non esse dubium as-
 severat Quintadu. in append. singul. rr. 4.
 dub. 8. servatâ tamen moderatione Consti-
 tutionum Leon. 10. & Iul. 2. superiùs rela-
 tarum; nimirum 1. ut Indulgentiæ conces-
 se etiam vni tantùm Ecclesiæ alicuius Or-
 dinis, extendantur ad omnes eiusdem Or-
 dinis Ecclesiastam fratrum, quàm sororum
 seu Monialium, quæ (ut ait dictus Quin-
 tad. rr. sing. 34. n. 8.) sunt veluti quid acces-
 sorium Regularibus & pars eiusdem Ordinis.

Pp

Etiã

CCCCXII.
 Communi-
 catio In-
 dulgenti-
 arum.

Etiam de Pœnitentia seu tertij habitûs nû-
 cupatorum vtriusque sexûs. 2. Vt Indul-
 gentiæ concessæ vni Ordini in festis eius
 communicentur proportionaliter alteri in
 festis suis, prout in Constit. Iul. 2. habetur.
 3. Indulgentias, quæ intuitu Ordinis seu
 festorum Ordinis alicuius, aut domui con-
 cessæ sunt, lucrari possunt in Ecclesijs & o-
 ratorijs illius Ordinis tam Regulares eius-
 dem Religionis, quàm etiam Sæculares.
 4. Communicatio Indulgentiarum, quo-
 ad visitantes Ecclesias Regularium, limita-
 tur ad eas tantùm, quæ in genere concessæ
 sunt Ecclesijs Regulariû, ita vt solùm istæ
 communicentur alijs Ecclesijs Regularium
 habentium priuilegium communicationis,
 non autem quæ specialiter pro aliqua Ec-
 clesia in particulari concessæ sunt, ita no-
 minatim quoad Indulgentias S. Mariæ de
 Populo declarauit Leo 10. superiùs recitatâ
 Bullâ: Dudum. Ex qua generalem istam li-
 mitationem elicit Collector Priuil. Mend.
 V. Communicatio priuil. §. 22. Credebant, in-
 quiens, aliqui fratres predicti Ordinis (Ere-
 mitarum Reg. Obser. quibus Iul. 2. Priui-
 legia, Indulgentias, &c. aliorum Regula-
 rium communicauerat, ac si illis specialiter
 concessa fuissent) posse gaudere Priuilegijs &
 Indulgentijs, particularibus Domibus sui Ordi-
 nis

his concessis, vt S. Maria de Populo Urbis Romæ & similibus. Et alij fratres aliorum Ordinum Mendicantium credebant, quod virtute Communicationis privilegiorum, similiter esset eis concessam. Sed Leo 10. declaravit, debere intelligi, quod gaudeant prædicti fratres privilegij generaliter concessis Congregationibus & personis & locis Congregationum, & non domibus vel personis particularibus Congregationum vel Ordinis concessis, &c. Collectorem sequuntur Rodriq. 10. 1. 99. Reg. 9. 55. a. 18. & Lezan. 10. 3. V. Indulgentia. n. 8.

Hæc restrictio videtur solum Indulgentias S. Mariæ de Populo concernere propter amplissimam aliarum Indulgentiarum communicationem inter Seruitas & Eremitas S. Augustini tam in genere, id est, omnibus Ecclesijs Eremitarum S. Augustini, quam in specie, id est, aliquibus Ecclesijs in particulari eiusdem Ordinis concessarum apud Lez. cit. n. 178. apud quem etiam videre licet in Commentario Bullæ aureæ. n. 15. Communicationem Privilegiorum & Indulgentiarum FF. Minorum cum PP. prædictis specialem, confirmatam sæpius à S. Congr. quinimò penitus sublatam verosimile est, per ea quæ inferius in additione afferentur.

Pro Indulgentijs stationum Urbis, Visitantibus Ecclesias Regularium, habetur

Concessio specialis Innoc. 3. in Mari Magno Seruit. quo communicationem Privilegiorum, Indulgentiarum, &c. Ordinis FF. Eremitar. S. Augustini, qua Religiosis ipsis, vel eorum locis, capellis, oratorijs, in genere vel in specie, qua loca eiusmodi Visitantibus, concessorum & concedendorum, factam à Martino 5. & Bonifacio 9. Ordini FF. Eremitar. confirmans; Eam extendit nominatim ad Indulgentias & peccatorum remissiones, almæ Urbis stationes in genere vel specie dictis fratribus; quodque vniuersi Christi-fideles verè penitentes & confesi, qui Ecclesias, oratoria atque loca FF. Seruorum huiusmodi pro tempore visitabunt, illas Indulgentias & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si visitarent singulas Ecclesias, oratoria, atque loca FF. Eremitarum huiusmodi, vbicunque sita, in omnibus & per omnia, ac si immunitates, priuilegia, libertates, & indulta prædicta Prioribus, fratribus, domibus ac locis Ordinis Seruorum pari modo à principio concessa fuissent & in posterum concederentur, &c. Refert hoc Mare Magnum, & scholijs declarat Lezan. 10. 5. 99. Reg. Ibi que n. 177. Speciatim notat, licet Indulgentia stationum concessæ Religiosis ipsis censeantur reuocata à Paulo 5. non tamen Indulgentia concessæ locis seu Ecclesijs ipsorum aut illas visitantibus, ac pro-

Vide Manuale Ecclesie Gallicane V. Indulgent. n. 25.

inde Indulgentias stationum concessas domibus Eremitar. S. Augustini, seu illas visitantibus, concessas etiam esse ex vi huius privilegij Ecclesijs Servitarum seu illas visitantibus, atque ita etiam Indulgentias alias prater tamen Indulgentias S. Mariae de Populo de Vrbe dicti Ordinis Eremitar. propter limitationem specialem à Leon. 10. positam, &c. Porro cum illa Indulgentiarum stationum Urbis communicatio facta sit atque concessa non vni alicui Ecclesiæ vel domui particulari vnus Ordinis, sed generaliter dictis Religionibus, liquet exinde vim habere ac valorem eundem apud alios quoq; Ordines, qui cum iisdem participant, pro quo consule Bullam Leon. 10. n. 402.

R. P. Georgius Gobat Soc. Iesu in eruditissimo suo Indulgentiarum Thesauro. n. 341. al. q. 19. Vtrum Indulgentias stationum possint in Soc. Iesu templis obtinere omnes Christiani fideles? cum partem affirmantem à non paucis sustineri dixisset, pro negante arguit. 1. quia nec Bulla, vel Breue vllum aut viua Vocis oraculum pro tam Generali communicatione habetur. 2. Si omnes Christi fideles possent in templis eorum illas lucrari, possent etiam in templis aliorum Religionum propter mutuam Communicationem: Doctores autem communiter illas

Pp 3 tanquam

tanquam peculiarem Thesaurum Religio-
 sis appropriant. Prout etiam 3. Gregorius
 13. hanc gratiã velut omnino particularem
 concessit Sodalibus. Et 4. In Comp. Priu.
 Soc. Vbi recensentur Indulgentiæ, quas
 Christi fideles luçantur in eorum Ecclesijs,
 nulla sit mentio stationum, nisi cum restri-
 ctione ad ipsos Patres, & respectu seculari-
 um, eorũ Parentes, fratres, &c. 5. Similiter
 & Greg. 13. illas concedens Ecclesiæ Hal-
 lensi restrinxit ad Scholares & eos, qui sapi-
 us in eorum templis Sacramenta pœniten-
 tiæ & SS. Eucharistiæ percipiunt. Tandem
 quia quamplurimis propterea Romæ con-
 sultis, vnicus fuerit P. Theophilus Ray-
 naudus repertus qui priorem sententiam
 tenuerit. Quare his rationibus & auctori-
 tatibus persuasus partem negatiuam omni-
 no veram censet. Addit tamen affirmati-
 uam posse alicui apparere probabilem, tum
 propter auctoritatem huius Patris, qui de
 veritate opinionis aff. non dubitat, tum quia,
 non videtur, inquit, rationabiliter dubitari
 posse; quin eadem ipsa Gratia sit iridem à Sede
 Apostolica impertita alicui aut aliquot Ecclesijs
 vnus aut aliorum Ordinum Mendicantium, ar-
 qui templa Soc. Iesu potiuntur omnibus Indul-
 gentijs & gratijs, quibus gaudent Ecclesiæ alio-
 rum Ordinum, etiam non mendicantium. *Vt
 clare*

clare habetur in cit. (Comp. Priu. Soc.) V.
Communicatio Grat. Hæc ille, qui tandem
 concludens, firmitati huius discursus, ait, ob-
 stare restrictionem, quã circa communicationem
 Indulgentiarum localium affert n. 557. Decla-
 ratione scilicet Leon. 10. in Bulla: *Dudum.*

Vt ab his instantijs me breuiter expedi-
 am; gratas imprimis habeo, quas Doctissi-
 mus hic Author pro nostrâ sententiã affert
 tum Authoritates innominatas, & nomi-
 natim P. Raynaudi, tum quas pro com-
 municatione 2. & ultimo loco sequelas po-
 nit. Cumq; quod primò mouebatur, com-
 municationis huiusmodi Bullas authenti-
 cas superiùs viderimus; ad reliqua dico, ijs
 nostram sententiã cõfirmari potius, quàm
 infirmari; Nam quod Indulgentiæ statio-
 num, quibuscunque tandem Personis gra-
 tiã speciali concessã tanquam legitime ag-
 noscuntur, in dubium vocari non debet,
 quod simili favore alijs quoque collatum
 esse liquet ex præmemorato Mari magno
 PP. Seruit sicuti neque Privilegio Hallensi
 noceat, quod Greg. 13. eandem gratiam, ve-
 lut omnino peculiarem Sodalibus concess-
 erit.

Bulla Leon. 10. quã Pater ille suam opi-
 nionem potissimum fundat, nihil penitus
 contra nos facit, Duæ sunt illius partes, in

Pp 4

prima.

prima Communicatio Privilegiorum & indulgentiarum Religiosis Personis & Ecclesijs æqua lance confertur. In altera fit quædam limitatio singularis, quoad Indulgentias Ecclesiæ S. Mariæ de Populo PP. Augustinianorum, quas Pontifex declarat ab alijs etiam Religiosis participari posse in suis met Ecclesijs: Sæculares istas lucrifacere non posse nisi apud S. Mariam de Populo, quodd gratia illa facta sit Regularibus intuitu Religionis, seu favore speciali erga Religiosos ordines pro se tantum, nõ autè pro Sæcularibus. Ex quo singulari casu sequitur ad summum, quod plures modò proficentur, Indulgentias peculiari alicui loco vel Ecclesiæ indifferenter pro Regularibus ac Sæcularibus impertitas, aliorum Ordinum Ecclesijs non communicari præterquam ipsi Regularibus. Hoc si quis extendere velit ad Indulgentias alias generaliter concessas Ordinibus vel eorum Ecclesijs visitantibus, manifestã poneret contradictionem huius secundæ partis Bullæ cum priori, vt clarè perspiciet, qui Bullam ipsam supra n. 402. verbotenus recitatom inspexerit.

Limitari tandem solet Communicatio Indulgentiarum, sicut & Privilegiorum, vt communicari non censeantur, quæ exorbitant & rarè conceduntur, qualia Tambur.

suprà

suprà n. preced. asserit esse Altaria privilegiata. Lezan. vt dictum n. 121. & 222. Indulgentias plenarias & pro Defunctis. P. Gobat in Thesau. n. 550. Indulgentiam Portiunculæ, item illam, quæ in Templis Soc. Iesu obtinetur in Die Circumcisionis. Et n. 554. Indulgentiam in forma Iubilæi ex occasione aliquâ peculiari concessam pro vna vice duntaxat vni certo Ordini. Denique illam, quæ in triduo Bacchanalium & in Dominica Communionis Generalis acquiritur in templis d. Soc. Iesu.

Indulgentias plenarias communicari (præter ea, quæ dicta sunt V. Indulgentia. n. 221.) quotiescunque in concessione Indulgentiæ non additur signum aut Verbum determinans remissionem ad partempore, docet P. Gobat l. c. n. 279. auctoritate Soar. ac Filliuc. tum ratione, quia si in hoc postremo casu non conceditur Plenaria, tum non potest dici, quenam ex non plenarijs concedatur. Vnde non assentior (inquit seq. n. 280.) Lezan, n. 21. post Sanctar. e. 15. dub. 13. asserenti, stylum Curie Romane & Regulas Cancellariæ Apostolicæ habere, quod cū Indulgentiæ plenariæ sint difficilis concessionis, non intelligantur concessæ nisi expressè exprimantur. Eandem Lezanæ & plurium aliorum sententiam negat post Trullenck, Villalobos, Rodriq. & alios Diana Res. 2. cum Palao tr. 25. p. 5. n.

10. & Casarubio (quid iste sentiat vide V. Indulgentia. n. 221.) ita argumentans: In Bulla plumbea (cruciata) expresse dicitur, habentem Bullam posse lucrari Indulgentiam stationum, eumque in eis contineantur Indulgentia plenaria, illa generalis locutio aequipollet speciali seu specifica locutioni, &c. Eodem ferè modo contra negantes communicationem Indulgentiarum pro Defunctis, ratiocinatur n. 550. & seqq. Quibus, inquit, lubens accedo, si ita habeat reuera stylus Curia & Regula Cancellaria. Addo tamen in Compendio Priuil. nostrorum V. Indulgentia, non semel supponi vel contrariam opinionem vel priuilegium contra stylum Curia. Et certè cum Pius 5. verbis, qua ex Comp. nostro V. Communicatio, §. 3. referret Rodriq. to. 1. q. 59. a. 5. dicat, se Societatis Iesu Religiosis & Ecclesijs concedere omnes Indulgentias concessas alijs Religiosis personis & Ecclesijs, non solum ad instar, sed pariformiter & aequè principaliter, apparet doctrinam Lezana & Soarij, non esse generaliter veram, cum praesertim Priuilegia concessa vni Academia instar Priuilegiorum alterius, perinde valeant, ac illius priuilegia. Quare Rodriq. eum l. c. eum to. 2. q. 88. non semel supponit contrarium, dum Indulgentiam plenariam vni alteriue Ordini concessam, extendit ad alios Ordines communicatione Indulgentiarum habentes, Hæc ille, Quæ

ita se habeāt, nō video, cur Altariū etiā pri-
 uilegiatorum communicatio inter Regu-
 lares Ordines impugnetur, res adēd fauo-
 rabilis & nemini præiudiciosa: Ecurr enim
 verò tam sumus immisericordes versus af-
 flictiſſimos Purgatorij Incolas? cūm ex-
 periamur liberaliùs in dies multiplicari hoc
 privilegium, contra id, quod isti Scripto-
 res participationem abnegant, quia ratiùs
 concedatur. Idem mihi ſentiendum vide-
 tur quoad communionem menſtruam, ſi
 quidem placeret alijs Regularibus eandem
 ſecundùm requisitas conditiones in uſum
 deducere, quod quia non faciunt, nihil hoc
 alijs nocet. Quod enim indirectè (vt ſcribit
 Rodriq. 10. 1. q. 55. a. 19.) per viam commu-
 nicationis & extensionis à Sede Apoſtolica impe-
 ditur, eſt jus, non autē uſus vel nō uſus, quæ nō
 in iure, ſed in facto conſiſtunt. Aſſentior autem
 P. Gobat circa Indulgentias Portiunculæ,
 Circumciſionis, & ſi quæ aliæ conceduntur
 pro feſtis Ordinum ſpecialibus, quas Iulius
 2. in Bulla ſuperiùs quoque poſitâ vult cum
 certo reſpectu valere. Non tamen plenam
 habeo fidem Peyrini 10. 1. fol. 142. neganti
 Indulgentias templis Minorum pro feſtis
 Pentecoſtes, Aſſumptionis, & Annuncia-
 tionis (vel alijs ſimilibus toti Eccleſiæ com-
 munitibus) impertitas poſſe in Eccleſijs alio-

rum Ordinum acquiri; Nisi, conformiter Bullæ Pauli 5. de qua *V. Indulgentia n. 220.* solennitas aliqua aliàs vniuersalis in ordine aliquo habeatur pro principali, prout in Societate Iesu celebratur festiuitas Circumcisionis Domini, vel Indulgentiæ concessæ sint pro aliquo casu, vel ratione, quæ non militat in alijs Ordinibus. Aluiss. *de Priuil. Regul. sec. 3. c. 13. n. 40.* qua ratione superius quoque priuilegiolorum participationem restringens, dixi: *Vel si priuilegium ex parte materiae & obiecti statuat determinatum locum aut Prouinciam, &c.* Quod ad Indulgentias quoque non illibenter extendo, tamen ratio non æquè vtrinque conuincat; siquidem *c. Cum Capella. de Priuil.* quo ibi singulariter niti solent, in primis disponit solum circa Priuilegium Exemptionis, odiosum valde, ideoque & specialiter reseruatam Papæ. *2. q. 6. c. Ideo. 1. & 2. Sylu. V. Casus. q. 1. Casu 5.* Deinde hoc vnum dicit *iuxta Gl.* quòd aliquis possit ratione vnius beneficij vel loci alicui esse subiectus, qui tamen ratione alterius exemptus sit. Hæc autem non perinde quadrant in Indulgentias. Veruntamen præstat hic sapere ad sobrietatem. Quare quæ circa limitationem istam hic & paulò ante dixi, differendo potius quàm asserendo dicta velim, præsertim quoad Indulgentias publicas.

publicas, quas qui palam in vsum deducere cogirat, viderit is, ne delinquat in Clem. Religiosi. quâ in virtute S. Obedientia & sub interminatione Maledictionis aeterna districtius inhibetur; Ne quis Indulgentias pronunciet indiscretas, hoc est, non concessas Gl. ibid. S. Indiscretas. Vel quando concessæ quidem sunt, sed concedi de jure non potuerunt. c. eum eo. de Pœni. & remiss. contra Pralatos Ecclesiarum concedentes Indulgentias superfluas excedendo quantitatē potestatis. Vel 3. quando probari non possunt, vt arg. c. Quoniam de probat. & alior. probat Sylu. V. Indulgentia. in fine. vbi mortaliter peccate docet qui Indulgentias indiscretas 1. & 2. modo indubitate predicant, vel eas quæ non sunt probabiles seu verisimiles, sed dubia, &c.

413. Ex his Rodriq. licet to. 2. q. 87. a. 5. teneat ad lucrandas Indulgentias in festo S. Clara, vi Bullæ Sixti s. de Indulgentijs festivitatum Ordinis Min. necesse esse, vt visitentur Ecclesiæ Monasteriorum Monialium; to. tamen i. q. 55. a. 18. id etiam Ecclesijs alijs per eiusmodi communicationem aperte concedit, vbi loquens de Indulgentia plenariâ concessâ visitantibus Ecclesiâ, quæ Portiuncula dicitur, in die 2. Mensis Augusti. Insertur, inquit, quod dictum Privilegium omnibus vtriusque sexûs Monasterijs Ordinis

CCCC.
XIII.

Communi-
catio In-
dulg. Or-
dinis
Mina

Ordinis sit commune. Et sic contriti & confessi
 visitantes Ecclesiam Monasteriorum Ordinis P.
 N. Francisci tam Virorum, quam mulierum,
 hanc eandem Indulgentiam consequantur,
 sine eo, quod fraternitati Chorda P. N. Fran-
 cisci sine conscripti. Nam per communicatio-
 nē omnia indulta concessa vni Monasterio dicti
 ordinis, omnibus alijs eiusdem ordinis Mona-
 sterijs tam Virorum, quam Mulierū sunt com-
 munita. secluso (inquit Mirand. to 2. Manual.
 q. 46. a. 7. eundem secutus) quocunq; Privi-
 legio. Idem tenet & ex professō confirmat
 P. Marchant. In Resolut. Norab. cas. 15. dub.
 1. Vbi: Infertur, ait, à maiori ratione In-
 dulgentiam concessam Monti Aluernæ in die Sti-
 gmatum, alijs Ecclesijs Ordinis, communicatam
 esse virtute ditorum Privilegiorum. Idipsum
 postea dub. seq. Res. 2. extendit ad festum
 Septem Martyrum 13. Oct. & si quos forsati
 in futurum canonizari contigerit: Dico,
 canonizari, de Beatificatis enim, sicuti pro-
 priè festum non fit, sed officium tantum
 permittitur, idē in diebus istis non est In-
 dulgentia plenaria Ecclesias ordinis Mino-
 rum visitantibus, nisi expressè concedatur,
 prout in festo B. Felicis concessum habetur;
 secus autem in festis Martyrum Iaponen-
 tum & aliorum Beatificatorum tantum: Lo-
 quuntur autem dicti Authores expressè de
 Indul-

Indulgentijs plenarijs, quicquid nonnulli communicationem Indulgentiarum restringant solum ad Non - Plenarias. de quo consule dicta V. Indulgentia. n. 221. ac dicenda in additione huius tit.

414. Superiores Prælati, & maximè Generales Ordinum, Capitula Generalia & Prouincialia, sicut possunt ac debèt ex officio suo, quod est esse Pastores ac Doctores suorum inferiorum, interpretari ac doctrinaliter declarare Privilegia; quorum sententiæ subditi eorum tutà conscientiâ stare debèt: Ita possūt tollere, limitare seu restringere sibi subditis vsum quorūcunq; privilegiorū Apostolicorū, ut ex varijs Privilegijs ostendunt Lezan. 10. 1. qq. Reg. c. 18. n. 56. & P. Elig. 10. 1. V. Privilegium. 4. n. 11. potissimè verò Greg. 13. concedentis & decernentis, ne persona Societ. Iesu, absque expressa Superiorum eorandem licentia uti possint facultatibus in Iubilæis aut Bullis Cruciatæ, Confessionibus aut alijs quibuscunq; Apostolicis Indulgentijs, quomodocunq; hætenus concessis & in posterum concedendis. Declarando præterea, posse Superiorem, dum huiusmodi licentiam concedit, limitare eam ad vsum vnius aut alterius facultatis, & prohibere vsum reliquorum, etiam in eadem Bullâ aut indulto contentorum, &c. Privil. Soc. Iesu. V. Absolutio §. 11. & V. Gratiarum

CCCC-
XIV.
Privilegi-
orum In-
terpreta-
tio.

narum vsus. quo quidem indulto, sicut & alijs privilegijs dictæ Societati concessis, possunt uti & frui quicumque alij Ordines ex privilegio communicationis, secundum dicta superius. Minoribus in specie indulsit Leo 10. Quod in rebus dubijs & scrupulosis conscientias FF. Minorum tangentibus, Generales & Prouinciales seu Custodes, cum consilio aliquorum Patrum (si res magnæ importantiæ fuerint) possint auctoritate suæ Sanctitatis determinare in scrupulis & rebus huiusmodi, atque eorum determinationi subditi, securâ conscientiâ, possint & debeant stare. Similiter ampliâns prædictam Constitutionem indulsit, quod fratres scrupulosi possint in omnibus dubijs suam conscientiam tangentibus, securâ conscientiâ, stare determinationi sui Guardiani, vel cuiuscunque alterius Prælati. Casarub. in Comp. Priv. V. Declaratio. §. 4. & 5.

CCCC.
XV.
*Rescripta
Prælati.*

415. Supradicti tamen Generales, & Prouinciales, & Capitula Generalia, vel Prouincialia, nequeunt virtute prædictarum concessionum, tollere aliquid, quod sit contra vsum SS. Canonum: nam quæ de iure statutæ sunt, habent vim obligandi ad culpam vel pœnam, iuxta ipsius iuris dispositionem, quæ obligatio in totum à Prælati tolli nequit.

quit. P. Bassæ. vbi supra. n. ii. vide dicta V.
Capitulum. n. 64.

Conuenit porro hîc etiam obseruasse discrimen Priuilegij Personalis & Localis. Nam qui pro se priuilegium aliquod habet absolutum, v. g. legendi libros Hæreticos, vescendi carnibus in Quadragesima, &c. vbique locorum potest, modò scandalum absit, quia eiusmodi priuilegia non constringuntur loco, sed absoluta & personarum propria sunt. Si autem locale priuilegium fuerit, locum in alieno loco non habet, v. g. cùm propter indigentiam cibi quadragesimalis alicubi vsus lacticinij conceditur, extrâ illum licitus non est. Salas de legib. q. 94. disp. 17. sec. 10. Bonac. rō. 2 p. 80.

Obseruandum item semel datam subdito à suo Superiori v. g. legendi libros prohibitos facultatem, &c. non expiret amoto Superiori ab officio: Nam illa non datur à Prouinciali sed à Papa, & licentia Papæ nunquam expirat; Et Prouincialis ibi sicut quasi nudus Minister declarans vel designans illū cui Papa concedit, eo modo, quò Prouincialis designans Confessores pro Sæcularibus non dat illis Iurisdictionem absoluenti, sed ipse Papa, & proindè illa Iurisdictione non expirat amoto Prouinciali.

Qq

Portel.

Portel. in Dub. Reg. V. Confessor erga Saecul.
num. 23.

CCCC- 416. Vigore superioris fundamenti de-
XVI. claratum fuit in ordinationibus nostris Ge-
Privilegi- neralibus An. 1645. Privilegium illud, quo
orum in fratres quater in anno possint absolui à Reser-
Ordine uatis, &c. In Religione nostra acceptatum
nostro mo- nunquam fuisse vel etiamnum acceptari
deratio. Eandem ob causam in Comitijs alijs Gene-
ralibus An. 1650. factæ Ordinationes §. de
Confess. confirmât vsum, fratribusque incul-
cant obseruantiam Declarationis factæ à
Clem. 8. & Urbano 8. vigore Bullarum
Cruciatæ aut similibus indultorum Aposto-
licorum, nulli Regularium permillum esse
eligere sibi Confessarium, qui eos à reser-
uatis absoluere queat: *Quin suæ intentionis
fuisse & esse (ait Urbanus 8.) quod fratres ac
Moniales, quantum ad Sacramenti Pœnitentiæ
& Confessionis administrationem, ordinariæ dis-
positioni suorum Prælatorum & Sedis Apostoli-
cæ, quoad sibi reseruata, sine subiecti. Imò verò
Regulares absolutè ne quidè Iubilæi tem-
pore (quod supra quoque Greg. 13. vetuit)
alios Confessarios eligere posse, præter eos,
qui ab eorum Prælati deputati sunt, docet
ex illo Decreto Clem. 8. Homobon. de cast.
reseru. p. 1. c. 2. Videndus circa hæc Mi-
rand.*

rand. 10. 2 Man. Pralat. q. 34. a. 15. Lezan.
& alij: item dicta superius n. 27. & 50.

Discent verò hinc Regulares, quantã
cũ cautelã priuilegijs vti, extraneosue DD.
sequi oporteat, ignaros rerum & consuetu-
dinum sui Ordinis, quæ leges non solùm
interpretari, verùm etiam facere & insti-
tuere, mutare, abrogare & tollere vel con-
firmare valent. Vt allegatis Iuribus, Do-
ctorumque auctoritatibus tradit P. Elig.

*Aduertem-
ria nota-
bilis.*

20. 1. V. Consuetudo n. 3.

417. SS. Trident. Synodus cùm salu-
berrimas pro totius Ecclesiæ bono Sanctio-
nes tulisset quamplurimas, inter eas non
paucæ sunt, quæ Regularium statum &
priuilegia concernunt, quas in vnum con-
gestas recensent Azor. 10. 1. Instit. l. 12. c. 18.
Henriq. l. 7. de Indulg. c. 24. lit. O. Quarant.

CCCC.
XVII.
*Privilegi-
orum Rea-
nociatio.*

V. Exemptio. Confess. in Comp. Priuil. tit.
c. 1. Portel. V. Trid. Conc. & alij. Illæ cùm
alerisque Regularium priuilegijs aduersen-
tur, controuertitur multùm, vtrùm, siue per
sum Trid. siue per Constitutiones suble-
quentium Pontificum, qui vel expressè vi-
dentur reuocasse priuilegia omnia, quæ d.
Conc. Trid. decretis aduersa sunt, vt est illa
ij 4. In Principijs Apostolorum. dat. 1565. vel
confirmarunt illa eatenus tantum, in quan-
tum dictis decretis non aduersantur, quæ est

Q92

clausula

clausula communis post illud Trid. in Pontificijs Bullis adhiberi solita, sint reuocata & abrogata Priuilegia omnia, quæ continent aliquid contra aliqua decreta prædicti Conc. Trid. 2. Affirmant multi, contra quos allegatis pluribus negatiuam tuetur P. Bassæ. *to. 1. V. Priuilegium. 4. n. 7.* & nouissimè Chassain. *suprac. c. 5. prop. 5.* & Urban. ab Ascens. *iv. 2. p. c. 3. Reg. 7.* vbi testatur S. Congregationem illius Concilij sæpius in particulari declarauisse, nonnulla priuilegia, aliàs Tridentino contraria, non esse tamen per illud abrogata; vndè & pro certo tenendum asserit, per Confirmationes priuilegiorum non reuocari omnia, quæ sunt Tridentino contraria, sed ad summum non confirmari. Per Pium 4. autem & ipsum Trid. reuocari ea tantum, quando in huius Decreti clausula aliqua derogatoria apponitur, quæ postmodum ipse Reg. 8. fufius autem Portel. *vbi supra* enumerat, quos vndè cum supracitatis consulere potest, qui exactam rei huius notitiam desiderat.

CCCC.

XVIII.

Vfus.

418. Interim verò ex his iudicium ferre licet, cum plura ex dictis Decretis inserta sint nostris Constitutionibus; non omnia tamen continuè priuilegiorum vsum tollere. Quamuis enim, vt religiosè notat Urban. *cit. p. 2. dist. 2. c. 3. Reg. 4.* verum quamplures Pontificum Constitutiones

obligare Sæculares propter Prædecessorum, qui eas non recepêre, rebellionem; Exindè autem non statim sequitur ita rem esse respectu Religiosorum, qui se semper obtemperantissimos exhibuerunt Summis Pontificibus, sicque semper intendant per seipsos acceptare, quod circa illos independenter ab ipsis cõstituitur; Nõ idèd tamen etiã credendum pariformem semper inducere obligationem, sed *regulanda secundum ipsa Decreta, vt loquitur Rodriq 10.1. qq. Reg. q. 8. a. 7. & restringenda & extendenda secundum ipsorum Decretorum terminos, &c.* cuius exempla passim in huius Summulæ dictis & dicendis occurrunt, præsertim *V. SS. Ordines*. quorum quædam simpliciter abrogant privilegia, quædam verò vim adhuc permittunt, non obstante, quod aliter vel in Trid. Synodo vel ab alijs Pontificibus statutum quandoque reperitur, & ita etiam in dictis nostris Constitutionibus referatur, quæ quoniam alioqui suam intentionem ac ac mentem esse declarant, non aliter fratres obligare, nisi quatenus eos Deus, Ecclesia, & Regula obstringit, ita credendum est, eodem respectu locum privilegij concedere vel abnuere. Quantum porrò speciatim quælibet antedictorum vel ob rationes præactas, vel consuetudinem, vel etiam

Superiorum declarationes obligent, pro-
priis locis videre est.

CCCC-
XIX.
*Oracula
Viuæ Vo-
cis.*

419. Attestatur noster Sorbo *V. Com-
munic. Priuil. in sine. ex Comp. Societatis Iesua
Pium s. viuæ vocis oraculo concessisse
Minoribus, An. 1566. 13. Mart. quo & Mend-
dicantes omnes, & participantes eorum
privilegia, gaudeant, vt possint vti omnibus
gratjs & priuilegijs in foro conscientie, per Pö-
tifices illius antecessores concessis, etiam illis, qua
sunt restricta seu derogata per Conc. Trid. Hu-
iusmodi viuæ vocis oracula, cum quam-
plurima sint data Regularibus, ided valor
eorund. hoc loco discutiendus est, pro quo*

CCCCXX.
*Eorū Re-
uocatio.*

420. Generaliter sciendum, Greg. 15.
in Bulla, *Roman Pontifex.* reuocasse omnia
viuæ vocis oracula, etiam quomodolibet
confirmata & innouata. *exceptis ijs qua sor-
zita fuerant, effectum, Et alijs, qua propria manu
alicuius Cardinalis firmata essent, &c. Idem
fecit postmodum Urban. 8. in Bulla: Alias
fel. recor. A. 1631. 20. Decemb. extendens re-
uocationem ad omnia eiusmodi oracula ni-
hil excipiendo. Vult tamen vt publicatio
& intimatio huius suæ Constitutionis fiat
per Generales Prouincialibus, & per Pro-
uinciales Prælatibus localibus. Quapropter
Chassain. *tr. 1. c. 2. prop. 6. Vbi tali modo
ac per tales publicatio facta non fuit, nos
esse**

esse curandū, ait, de contentis in hac Bullā. Cuius certè publicationis eo modo factæ (etsi per ordinarium huius Diocesis Constant. A. 1632. promulgatam esse constet ex Im-pressis exemplaribus) nullum apud nos extat vestigium, sed potius contrarium; habetur enim inter Prouinciæ Monumenta testimonium expressum R. P. Columbanī à Rottenburgo, qui Ministerio huius Prouinciæ pluries magnā cum laude functus, ad quoddam viuz vocis oraculū in Archivio Prouinciæ repositum, suā manu scriptum reliquit, in Capitulo Generali A. 1633. cui præfens intererat proclamatum fuisse, quodd Vrbanus 8. Pontifex non intendat, vt eiusmodi oraculorum reuocatio Capucinos afficeret.

Esto autem Constitutiones illæ reuocatoriæ debitè promulgatæ fuissent, Idemet Vrbanus 8. teste Barbos, in *Apost. Decis. Coll. 88. V. Oracula viuz vocis*, aliā Constit. quæ incipit: *Alias scil. 11. April. 1635.* declarauit Officiales seu Ministros, quibus aliās ante emanatas prædictas Constitutiones ex officiorum suorum autoritate & prerogatiuā de oraculo per eos à Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, habito fides haberi solebat, in litteris prædictis

minimè comprehensos fuisse, nec esse, nec comprehendi debere.

Viri quoque gravissimi, teste Bassæ. 10. 2. V. Privilegium. n. 8. vers. Quartum est, tenent Urbanum 8. ea solùm reuocasse, quæ non sunt confirmata per Bullam alicuius Pontificis ex certa scientia (qualis inter alias est Bulla Clem. Ratio Pastoralis. A. 1596. die 20. Dec. apud Rodriq. n. prima. disertis verbis oracula vivæ vocis exprimens) quod confirmata iam in Bullas transferint. Idem tanquàm probabilius tenet Lezan. 10. 4. V. Oracula viva vocis. Ut merito quis mirari queat, quare hic Auctor tam rigorosè per totam illam summam Oracula cuncta reiiciat, præsertim 10. 1. c. 19. n. 25. celebre illud Oraculum Martin. 5. absolventi & dispensandi, &c. cuius testimonium authenticum se vidisse testatur Collector Priuil. V. Dispensatio. §. 24. Item aliud Iul. 2. dispensandi circa petitionem debiti coniugalis cum sit factum Ludouico S. Marcelli Presbytero Cardinali & maximo Pœnitentiario & officiali Papæ, & ab eo sub sigillo Officij Pœnitentiariæ subsignatum. 4. Cal. Aug. Itemque simile Pij 5. quæ, quoniam insuper per Constitutiones Pij 5. Greg. 13. Pauli 5. &c. qui Privilegia Minorum etiam vivæ vocis oraculo concessa ex certa scientia confirmant,

marunt, in Bullas transferunt, teste Hurta-
do apud Bassa. cit. Vers. Quintum est. licet
omnia vivæ vocis oracula essent reuocata
per Urban. 8. Ista tamen adhuc valere com-
munis iam ferat sententia.

Porrò quæ & qualia sint huiusmodi vivæ
vocis oracula Religiosis concessa, ex com-
pendijs privilegiorum intelligi poterit. Plu-
ra ipsorum habentur in Comp. Mendic. si-
gnata litt. O. Et Rodriq. in Bullario circa
singulos Pontifices, qui illa concesserunt,
post Constitutiones.

Specialia Religiosorum omniū Privile-
gia, ex litteris Authenticis SS. Pontificum
vsque ad modernum SS. D. N. Alexan-
dri VII. summo studio, in Breue Com-
pendium, seruato propriorum Verborum
tenore, redacta nuper in lucem edidit R.
P. Augustinus à Virgine Maria Carmelita,
&c. Lugduni An. 1661. Constantem adhuc
illorum, etiam Vivæ Vocis oraculorum,
valorem, non obstantibus Conc. Trident.
& aliorum, alijsque SS. Pontificum, Bullæ
Cœnæ D. S. Congregationis, &c. Revoca-
torijs, argumentis plurimis defendit R. P.
Virginus Aluise Benedictinus, tractatu
(eodem An. Venetijs edito) De Privileg.
Regul. sec. 4. dub. 7. & seqq.

A D D I T I O.

Non est leuis momenti gratia, neque a-
 ded floccipendenda, quod quicumque visi-
 tauerint quocumque tempore vel die Regu-
 larium Mendicantium Ecclesias, lucrari
 possint Indulgentias omnes quibuscumque
 Ecclesijs in Vrbe existentibus & illas visi-
 tantibus concessas & concedendas. Quod
 cum vel ob solam sui magnitudinem &
 excellentiam, apud viros etiam doctissimos
 fidé obtinere nequiverit, quin vel absolute
 negarent, vel ad solas non plenarias restrin-
 gerent, operæ pretium duxi singulare, in
 confirmationem eorum, quæ supra dixi n.
 412. hîc verbotenus referre discursum, et si
 aliquantum longiorem, ex libro præme-
 morato R. P. Augustini à Maria tit. vt se-
 quitur.

INDVLGENTIÆ CONCESSÆ
 visitantibus Ecclesias Mendicantium.

*Longior essem in recensendo singulas in spe-
 cie, vnam refero ceteras virtute complectens,
 vel saltem excedens.*

*In libro Privilegiorum Fuliensium impresso
 Parisijs, sumptibus Monasterij S. Bernardi eius-
 dem Congregationis, An. 1628. habentur in pag.
 97. litteræ monitoriales datæ An. 1624. Pontifi-
 catus Urban. 8. anno 2. 25. die Octobr. in quibus*

Ioannes

Ioannes Dominicus Spinola Protonotarius Apostolicus, veriusque signatura S. D. N. Papae referendarius, ac Curia causarum Camera Apostolica Generalis Auditor, Romanae Curiae Index ordinarius sententiarum quoque ac censurarum, tam in eadem Curia, & extrà eam litterarum, ac litterarum Apostolicarum quarumcunque vniuersalis, & merus Executor, ab eodem Sanctissimo specialiter depuratus; ex authenticis Instrumentis per Procuratorem Generalem Fuliensem sibi exhibitis, hoc modo rationatur:

Omnia Priuilegia & Indulta Ordini Cisterciacae aut quibusvis eiusdem Congregationibus concessa vel concedenda, communicantur Fuliensibus à Sixto 5. (id. Nouembr. 1587. B. Super specula, 70. apud Cher.) & Clem. 8. (4. Sept. 1592. B. Pastoratis. 12. apud Cher.) & Paulo 5. (5. Iulij 1606. B. Diuina disponente. 23. apud Cher.) qui & insuper adijcit Priuilegia & Indulta concessa, & concedenda quorumlibet Ordinum & Congregationum veriusque sexus Professoribus, Monasterijs, Ecclesijs, tam in vrbe, quam etiam in quibuscunque mundi partibus existentibus. Item Greg. 14. B. Romanus Pont. (An. 1591. 28. Jun. 3. apud Roderic.) Congregationi Regulari S. Bernardi Regnorum Hispania, & illius vtriusque sexus Monasterijs, Ecclesijs, pijs locis, &c. communicauit omnia Priuilegia, Indulgentias
etiam

etiam plenarias, &c. concessa tã eidem Ordini
Cisterc. quàm alijs Ordinibus, & eorũ Congre-
gationibus, Monasteriis, domibus, Ecclesijs, Cõ-
fraternitatibus, pijs ac charitatiuis locis, eo-
rumque in quibusuis festiuitatum, ac alijs diebus
Ecclesias visitantibus tam in vrbe, quàm in qui-
buscunq; mundi partibus consistentibus. Atqui

Sixtus 5. An. 1587. idibus Iulij. B. Sacrosan-
ctæ. 60. apud Cher. Confraternitatis & Mona-
sterij Monialium sub Regula S. Benedicti Con-
gregationis S. Bernardi Cisterc. Ordinis Ecclesi-
as in vrbe tunc existentibus, & pro tempore con-
struendis, vniuersisq; vtriusq; sexus Christi fide-
libus, easdem Ecclesias deuorẽ visitantibus, nec-
non Missas in eis, vel earum aliquibus celebra-
ntibus, seu celebrari facientibus, quouis modo, &
quocunq; totius anni die in perpetuum, concessit
omnia & singula priuilegia, Indulgentias
etiam plenarias, & peccatorum remissiones, &c.
quæ concessa fuerunt Confraternitatis Carbecu-
menorum de Vrbe Ecclesijs, Capellis & eas visi-
tantibus. Confraternitatis verò istius Monaste-
rio, Ecclesiæ & illa visitantibus, &c. Paulus 3.
11. Cal. Martij An. 1543. (B. Illius qui. 37. apud
Cher.) concessit omnia Priuilegia, Indulgentias
etiam plenarias, &c. concessa & concedenda
Imagini S. Saluatoris ad Sancta Sanctorum, &
Charitatis, ac Archihospitali S. Iacobi in Augu-
sta, & S. Spiritus hospitibus ac Corporis Christi

si & Sacramenti, ac Campi Sancti, & alijs Co-
fratribus Confraternitatū de Vrbe, necnon eius-
dem Imagini & Hospitali S. Spiritus, ac Cam-
po sancto, necnon fabrica Basilicae Principis Apo-
stolorum de Vrbe, illiusque deputatis eorumque,
necnon B. Mariae de Populo, & Consolationis,
ac S. Io: Baptista Florentinorum, alijsq; eiusdem
Vrbis Ecclesijs, ac illa & illas visitantibus: nec-
non Presbyteris, qui in Monasterio seu Hospitali,
aut Ecclesijs pradietis quocunque anni tempore,
celebrauerint, & pro quibus ijdem Presbyteri
inibi celebrauerint, & orauerint, easdem In-
dulgentias & peccatorum remisiones, quae cele-
brantibus in Scala caeli nuncupata, Monasterio
trium fontium extra muros vrbis Cisterc. Ordē-
nis, cum capella in praesepe Domini, sita in Ec-
clesia B. Mariae Maioris de vrbe, ac anima-
bus, pro quibus inibi ijdem Presbyteri ce-
lebrauerint & orauerint: Ergō
Fulensium Ecclesia, Monasteria, & Illas aut Illa
visitantes, gaudent aequē principaliter omnibus
Privilegijs, Indulgentijs etiā plenarijs, &c.
concessis & concedendis, quibuscunque
Ecclesijs in Vrbe existentibus, & illas visi-
tantibus.

Subsumptum.

Atqui cunctis fidelibus notum satis est, non so-
lūm frequentes, verūm etiam quotidianas in
Vrbe Indulgentias, etiam plenarias in plu-
ribus

*Ecce com-
municat-
ionē suf-
fragiorū
& alta-
rium pri-
uilegiato-
rum.*

vibus Ecclesijs, atque Altaria privilegiata esse: Ergò

(nulli dubium esse debet, quin Fulienses habeant in omnibus & quibuscunque Ecclesijs vel Cappellis in quocunque totius anni die plenariam Indulgentiam, atque omnium peccatorum remissionem ita quod omnes Christi fideles utriusque sexus, qui eorum Ecclesias confessi vel contriti deuotè visitauerint, ibique pro Principibus Christianis, & S. M. E. pias preces effuderint, Indulgentiam plenariam, atque omnium peccatorum remissionem lucrabuntur quocunque tempore anni.) Consequenter Auditor presatus inhibet & mandat districtè sub pœuis, quoad Episcopos, Suspensionis à diuinis, Interdicti Ecclesiastici, & ingressus Ecclesie, quoad alios verò, Excommunicationis, &c. ne quis audeat, aut presumat dictos Fulienses contra formam dictarum litterarum Apostolicarum molestare, &c.

Iam verò patet, eundem discursum presatum formari posse pro singulorum Mendicantium Ecclesijs & eas visitantibus, propter amplissimam illis factam communicationem privilegiorum, indulgentiarum, &c. quarumlibet aliarum Congregationum, ut videre est V. Communicatio Privilegiorum Mendicantium simul & non Mendicantium.

In presato libro privilegiorum Fulienstum pag. 90. habetur etiam consultatio quadam, da-

ta Roma 8. Maij 1605. in qua ex praefata duplici
Bulla Sixti 5. idem quod Auditor praefatus con-
concludunt sub suis signis Franciscus Suarez,
Martinus Fornarius, Benedic. Iustinian. qui
res sunt Soc. Iesu.

Aliud argumentum, quo idem concluditur
manifeste, ducitur ex nostris privilegiis. Etenim
verbo precedenti n. 4. Honorius 3. & Nicolaus
4. omnibus verè poenitentibus, & manus adiu-
trices nostris domibus porrigentibus, & illarum
fratribus, omnium peccatorum suorum veniam
polliciti fuerunt. Atqui ibidem n. 9. Greg. 13.
eas omnes Indulgentias confirmavit, sic vt clau-
sulam illam, de porrigendo manus adiutrices,
commutet in visitationem nostrarum Ecclesia-
rum, cum certis aliis conditionibus ibidem ex-
pressis sub disjunctione & ad libitum eligendis.
Ergo quicumque & quotiescunque sic nostras Ec-
clesias visitauerint, Indulgentiam plenariã con-
sequuntur. Quibus iisdem nostris monumentis
ad eandem Indulgentiã statuendam vitur Com-
pendium privilegiorum Fulienfium, V. Indul-
gentia quoad Seculares. §. 2.

Porro Paulus 5. An. 1606. declaravit (per
Breue Sanctitatis Suae datum Roma apud S. Pe-
trum sub annulo Piscatoris die 23. Maij 1606.
super Reuocatione seu annullatione Indulgentia-
rum omnibus Ordinibus & Congregationibus
Regularibus concessarum nõ fuisse mentis & in-
tentionis

rentionis sue Indulgentias tam plenarias & perpetuas, quàm quascunque alias per se & Romanos Pontifices Prædecessores suos ac Sedem Apostolicam quibuscunque Christi fidelibus Ecclesiæ Congregationis B. M. Fulienfis visitantibus hætenus concessas reuocare & annullare: sed illas in suo robore permanfisse) viua voci oraculo, sub attestatione Cardinalis Bandini authentica per Cardinalem Pamphiliũ Papa Vicarium Generalem. 8. in priuilegijs eorundem impressis Antuerpiæ 1630.

Liceat hic incidenter corrigere multorum perũsionem quasi ad obtinendas Menstruæ Communionis Indulgentias in fauorem animarũ Purgatorij (supra n. 411.) necesse sit in eadem Ecclesia tam Pœnitentiæ, quàm SS. Eucharistiæ Sacramentum recipere, vt plures Regularibus alijs peccata confiteri soliti, malint tantæ charitatis officium negligere, quàm ab ordinario Confessore ad aliũ transire, qui iuxta præallegatam Indulgentiarum Vrbs participationem, simul has adipisci in Ecclesia Regulari, vbi suorum peccatorum exomologesin faciunt, & pias animas iuuare possent, si pro S. Communionem, in templum designatum sese conferant, cùm de sola SS. Eucharistiæ perceptione Breue Apostolicum loquatur.

PROFES.